



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De silentio. Cap. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

29. Enitantur ergò tantæ Virginis filii
 hac honestate decorari: & hæc filiorum
 dignitatem insigni modestiæ cultu ubi-
 que prætere: inter alia enim cælestis
 patriæ gaudia, hoc eis pro hac sedulita-
 te reddetur, vt pulcherrima, & suauissi-
 mo decore præstantissima Iesu Christi,
 ac Beatissimæ: Virginis corpora cer-
 nant.

De Silentio.

Cap. XVI.

1. **S**I quis putat se religiosum, hoc est,
 Dei cultorem esse, non refrænans
 linguam suam, (vt Iacobus Apostolus
 ait) huius vana est religio, siue la-
 tria.

2. Grauißimum certe assertum est: vi-
 detur enim Apostolus permittere, vt
 quis virtutes alias quantumuis colat;
 hoc excepto, vt linguam moderetur; &
 hunc, quasi veræ fidei, seu religionis ex-
 ortem, vanum appellat.

3. Ex quo satis se prodit silentij laus:
 quam linguæ modestiam licet nuncu-

pare: necesse quippe est, si linguæ licentia homines facit quasi religionis expertes, silentium faciat sanctitatis verę confortes.

4 Et quidem, vel ipsum nomen (silentium) habet nescio quid peculiare; sanctum, tranquillum, reconditum; quod videtur animum ad interiora, ab exterioribus reuocare: cuius certè honestas tam eximia est, vt sacras siue virorum, siue mulierum ædes, præ vniuersis virtutibus alijs decorare videatur: quod sapientes viri eò ingressi statim animaduertunt, & ad se reuersi sanctitate silentij contrahuntur.

5 Haber enim affinitatem quandam cum diuina contemplatione, ac mentis suspensione: quæ aliquid sæculo altius tacendo significat: quod licet non omnes homines capiant, omnes tamen admirari videntur: quo certè solo argumento silentij excellentia satis ostenditur.

6 Nobilitas profectò egregia est, & valdè fœcunda, tot enim bonos partus edit, tot lucra comparat, quot verba inutilia refecat: præter commoditatem

maxi

maximam, & cordis tranquillitatem, quam singulari prerogativa conciliat: ut quisque, quoties, ubi opus est, fileat, de seipso testari potest.

7 At verò nullus orator, etsi disertissimus, exprimere valebit, quam sint amabilia non solum diuina, & interna colloquia, sed & soliloquia, quæ hominum sermoni succedunt. Dulcissima enim solitudo est, ubi Deus cordi blanditur, & vno saltem verbo, maiora solatia prestat, quam ex vniuersi mundi eloquentia, per annos millenos elici possent.

8 Profectò silentium via solitudinis est, qua mens Dei cupida ab hominum strepitu, in tutissimam pacem inducitur: cui benè congruit illud: Ecce ego lactabo eam, ducam eam in solitudinem; & loquar ad cor eius: quasi diceret: Amantissimus Deus fugit hominum lac; non enim labijs papillas apprehendit: odit peccatores, qui etiam sermonibus blandis lactare volunt, nec acquiescit eis. Propter hoc, ego lactabo eam ab hominibus sequestratam: & exponens quid sit lactare eam, subiungit: Loquar ad cor eius:

eius:

eius scilicet solabor eam; & hominum
verbis diuina verba succedent.

Fratres ergo nostri, qui è Babylonis
tumultibus, in solitudinem se recepe-
runt, vt clementissimum Deum ad cor
loquentem audirent, totis viribus in si-
lentij cultum incumbant; & purgatis
cordis auribus, sola Dei verba deside-
rent. Sed actus, quibus lingua coercen-
da est, proponamus.

E X E M P L V M.

10 **E**Xpendendum est linguam esse fe-
ram quandam indomitam, quæ
nullis conatibus, vt Iacobus Apostolus
dixit, ab homine vlllo domari potuit:
cuius damna plurima, & grauissima
sunt. Habet enim expeditionem quan-
dam præcipitem: & statim, ac loquen-
do incaluit, omnia modestiæ claustra
perrumpit: modicus videtur ignis, sed
magnam syluam incendit.

11 Propter hoc Patres antiqui, inter pri-
ma, & potissima Cœnobiticæ vitæ præ-
cepta, silentium posuerunt; cuius utilita-
tem miris encomijs, quæ fidem supera-
re

re videntur, celebrarunt. Nemo enim, qui Sanctorum scripta non legerit, facile credet tanti ponderis esse silentium, quanti ab eis factum est. Videtur enim virtus hæc non ad cor, sed ad labia, & (vt ita dicamus) ad hominis superficiem pertinere: at verò licet labia moderetur, ipsa viscera permeat, & afficit.

12. Hinc est, vt quasi rem summo opere necessariam, & ad vñionem diuinam exquirendam, & ad culpas proprias, & proximorum scandala plurima declinanda, sic Patres silentium commenda- uerint, vt mediũ virtutis excedere visi fuerint. Cum enim silentij virtus non omnia verba, sed noxia tantum, hoc est, quæ necessitas, vel utilitas non requirit, excludat; illi sic rem premere curarunt, vt & vtilia quoque verba iunioribus non facile permiserint: notum est enim Sanctum Vincentium Ferrerium, nutus, quasi extortos verborum vice consuluisse.

Verum re interno lumine perpensa, prudentissimè (vt qui à Spiritu sancto regebantur) silentij præcepta tradidere. Cum enim omninò loquendum esse
 confi-

num
 lonis
 epe-
 cor
 in si-
 gatis
 fide-
 cen-
 Te fe-
 quæ
 tolus
 otuir:
 lina
 uan-
 uen-
 ultra
 , sed
 pri-
 præ-
 ilita-
 era-
 re

considerassent, & ipsi summo studio silentium colentes, in culpas leues, quas morte peius horrebant, sæpè loquentes incidissent; humanæ conditionis fragilitatem præfagientes iudicarunt; salubrius, aut minus noxium esse verborum defectu, quàm excessu peccare: defectus quippe rariùs, & leuiùs, excessus frequentius; & grauiùs lædit: quia proximis quoque nocet.

14 Ex hoc in Congregatione nostra cõsuetudo inoleuit, vt fratres, nunquam, nisi de Superioris venia, verba faciant; excepta salutatione mutua, & parcissimis interrogationibus, & responsis necessarijs: quæ tamen arctissimi silentij tempore vbi nec salutationes mutue sunt, schedulis in morem inductis scripto expediuntur.

15 Quamobrem, & Patrum antiquorum, & Cõgregationis nostræ disciplinæ consentaneum est; vt potius in silentium nimium, quàm in linguæ licentiam propè deatur: nec aliter eius virtutis medium, processu temporis teneri, experientia ipsa conuincit. Quia tamen omninò loquendum est, cùm necessitas id exigat,

git, voce submissa, & audientibus attem-
perata, quæ animi silentium colentis nota
est, & verbis quoad fieri poterit, pau-
cissimis fratres vtantur, sed actus silen-
tij præscribere opus est.

ACTVS INTERNI.

16 **M** Odestissime Iesu Christe pone
custodiã ori meo, & ostium cir-
cumstantiæ labijs meis.

Statuo, mitissime Domine, ab omni
verbo, quod necessitas, vel utilitas non
exigat abstinere.

Si opportuerit mori, propter silentij
cultum à Congregatione præscriptum,
non te negabo.

Si exploratum mihi fuerit, verbum
aliquod otiosum esse, etiam si occidar,
silebo.

Absit à me Clementissime Domine,
vt conscientia renitente loquar.

Si ad loquendum inuitatus fuero, v-
birationes humanæ, ob personæ graui-
tatem, vel causas alias verba suggeste-
rint, rationi diuinæ silentij obtempera-
bo.

Vtinam benignissime Deus, potius
obmu-

obmutescam, quàm vel vno verbo tibi non grato abutar.

17 Actus hi tunc efficaces erunt, cum oblati occasionibus Deo potiùs silentium interiùs inspiranti, quàm hominibus exteriùs suadentibus parebitur: quapropter actus externos, hoc est, occasiones & cultum silentij exteriorem exprimamus.

18 Hoc autem monitum hoc in loco tepestiuum est: ne videlicet fratres nostrorum indignationem pertimescant, dum virtutis actus obeunt: benè quippe congruit, quod dixit Apostolus: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Contentur ipsi ad Obedientiam lineam suas actiones exigere: quòd si fortuitò quis inde commoueatur (nam exerceri opus est) patienter ferant: sed consilium neutiquam mutant.

ACTVS EXTERNI.

19 **H**abet frater aliquis obuium patrem grauiorem (vt faciliora ex difficilioribus pateant) salutant mutuò: sed

sed pater ille subsistit, & sciscitatur, an valeat? quæ certe interrogatio fortasse reprehendenda non est, sed cum necessaria non sit, nec verò utilitas appareat; partes fratris illius erunt, iucunditatem aspectu præferre, ac beneuoli animi significatione patri satisfacere: at intrinsicus firmiter constare: & in hunc modum, vel alium similem, actum silentij producere: Malo Domine tecum, quàm cum hominibus colloqui.

20 Quod si pater ille instet, pergat beneuolentiam ostendere, si discedere nequeat: si verò possit, lætus abscedat, & Clementissimo Deo, propter oris custodiam gratias agat.

21 Quisquis hoc modo, silentij amore flagrat, & victorias frequenter parat, omnino sibi persuadeat, se Deo rem acceptissimam, & proximis ipsis quoque, qui responsa extorquere velle videntur, vtilissimam effecturum: & totius Domus Dei decorem, non vulgariter aucturum.

22 At non huiusmodi congressus tantum, sed grauiora experimenta superare oportet: sæpe enim, à patribus, vel fra-

fratritus, sub specie virtutis, fratres no-
uos, ad eorum profectum tentari opus
est: vt pateat qua constantia, & fidelitate
præditi sint; & quo pacto, rerum spiri-
tualium doctrina capiant, & vir-
tutis actum à virtutis colore discer-
nant.

23 Hinc perspicitur: quàm turpiter er-
rent, fratres, qui absente superiore mox
vt inuitantur, in verba prorumpunt:
longissimè quippe à vera virtutis cultu-
ra recedunt: & sibi, & proximis, & deco-
ri domus Dei grauius nocent. Curent
ergo fratres nostri linguam domare, &
meliora Dei verba, ipsa taciturnitate re-
quirere quod vt efficiant, subiecta rati-
onum momenta perpendant.

24 Nemo vnquam linguæ pericula iu-
sta trutinâ ponderauit, quantumuis à fi-
de Christi esset alienus, qui linguam
non extimuerit, quasi præsentissimum
venenum, quod & scriptorum Ethni-
corum asserta demonstrant. Vix enim,
non solum peccata, & peccatorum quo-
que genera, quæ ab vna lingua exori-
untur, enumerari possunt: cuiusmo-
di

di sunt detractioes, murmura, lites, rixæ, contentiones, mendacia, periuria, blasphemix, & alia teterrima flagitia: quin etiam, & reliqua peccata, asserendo, negando, & defendendo, simulando, incitando: vehementer exaggerat: quomodò ergò vero proficiendi desiderio linguæ incuria cohæere potest? aut quomodò se ore proprio non damnat, qui perfectioni Christianæ addictus est & linguam sine timore relaxat.

25 Sicut autem & innumera, & ingentia sunt linguæ mala, ita silentij non apud Deum tantum, sed apud homines quoque sunt plurima, & pretiosissima bona. Profectò enim vir silentio deditus à cæteris hominibus, quasi quædam sapientiæ arca obserata suscipitur: statimquæ ac filere incipit, prudentiæ opinionem generat & nescio qua ratione, sine disciplina doctus, sine experientia prudens habeatur. Sed quicquid lateat prudentiæ pars est, stultitiam, vel imperitiam silèdo celare: & vt vulgo dicitur: Stultus quandiù tacet habetur sapiens.

26 Sed profectò, quâuis multâ doctri-

na

ne vim quis comparauerit, vix si sermo-
nem diu producat, à multis erratis im-
munis euadit: summa enim circumspe-
ctio ad recte loquendum exquiritur, &
repensata, facilius multò est, omninò si-
lere; quam sine vitio loqui: quænam er-
gò mens erit Monachi illius, qui cū nec
doctrina, nec experientia polleat inno-
centiam sibi pollicetur, vbi sapientes,
prudentesque labuntur?

27 Præterea nemo dignitatem vllam in
sæculo querit, qui nō sollicitudine mira
media opportuna vsurpet: & ad rem
nostram, si ad eum finem taciturnitas
conferat (vt sæpe coram principibus
conferre solet, ad verecundi animi, vel
prudentiæ laudem comparandam) non
se à verbis studiose contineat? cum ergo
finis instituti nostri sit vnio diuina, quæ
silentio, velut medio appositissimo, per-
quiritur, par erit, per eius perenne studi-
um ad sublimissimam illam dignitatem
aspirare.

28 Hinc est, vt antiquissimi vtriusque
testamenti Patres, qui Cœnobiticæ dis-
ciplinæ fundamenta posuere, acutissi-
me linguam cohibuerint, ne à tantæ rei
stu-

Audio diuerterentur: non enim solitudinis amor nisi propter diuinam vnionem, nec hominum fuga, nisi ob linguæ timorem, & alia eius generis damna colligebantur: quod vnus pro multis innocentissimus Ioannes Baptista conuincit, vt in eius hymno canit Ecclesia: si ergo fratres nostri eò tendunt; non sine præcipi, i temeritate linguæ indulgere poterunt.

29 Verùm inter vniuersa exempla, vel rationum pondera, quæ ad silendum animos vrgerè possunt, Iesu Christi D.N. hac in parte, signa vsque ad stuporem mirabilia contemlemur. Etenim, Verbum Dei erat, nec verba ei deesse, aut periculum creare poterant: & tamen per annos triginta siluit, vix tres loquendo peregit. Quid autem hoc prodigio maus, vel sperari, vel cogitari, vel fingi potest? Minus est sanè, quid quid auctores vniuersi, vel profani, vel sacri, de oris custodia exaggerat, quàm quod hoc vno exemplo, cui multa miracula cedunt, amplexi sumus, & declarare iam cupimus.

30 Si enim eò Dei filius venerat, vt Dei

M

sci-

scientia terrarum orbem repletet, ac
 ignorantia hæreditaria, qua genus
 humanum laborabat, tenebras depel-
 leret, quomodo tacui? an homines lon-
 ga eruditione non egebant, & optabant,
 ut dirumperet cœlos, ac descenderet, &
 erudiret primores orbis, sicut semetip-
 sum, & senes eius prudentiam doce-
 ret?

31 At verò rationis incrementa perspi-
 ciamus Exploratum est, perfectissi-
 mum silentii cultum eum esse, quo, in
 grauiſſimis periculis, & damnis tacetur;
 nam ubi ardua non immirèt, virtutis
 cultus non vsque adeo eximius est: mi-
 tissimus autem Iesus Christus, coram
 se tonnentibus obmutuit, & iuxta Iſaie
 vaticinium, non aperuit os suum. quod
 Euangelistæ altè notarunt: quid ergo si-
 gnificauit?

32 Sanè, cum ad Herodè pertractus, &
 curiosissimè rogatus, grauiſſimè siluit,
 cum adstarent optimates vrbs con-
 stanter accusantes eum, poterat Dei fi-
 lius paucissimis verbis vanum regè il-
 lum delectare, ac ab eo libertatem im-
 petrare: & tamen siluit, & repulsus, ac
 deri-

derisus fuit. Oportet ergo aliquid magnum hac taciturnitate portendi.

33 Quid autē apud Pilatum? Vbi miseriam facimus crudelissimorum latronum præposteram electionē Barabbæ, cum facile Dei Verbum posset durissima quoque saxa dicēdo mollires, ac innocentiam suam contra hominē inuidiosissimum, tueri. Sed cum homines infani, & à diabolo agitati apud Pilatum rabidè instarent, & multa mendacia obijcerēt, Virginis filius tacebat: nec Præfidis admonitio vnum saltē verbum ab eo impetrare potuit.

Quis hic Monachus non suspēsus hæreat, & scire cupiat, quid sibi velit hoc Iesu Christi silentium?

34 Agebatur grauissima causa: incarnati Dei vitæ mors iniustissima, & dirissima imminēbat: intererat generis humani, ac peculiariter vr̄bis illius à Deo in delitijs habitæ, Christi veritatem agnoscere: & tamen interrogatus tacet: quin etiam, interrogatus de veritate, quid sit, tacet. Quid est hoc? Usquequò degeneres Monachi linguæ vincula soluent?

M 2

quomo-

quomodo non erubescunt, & Christi iudicium reformidant?

55 Puteus altus est, & in quo silentij huius aquam occultam hauriamus, non habemus. Mirari necesse est, dum rem conspicimus, & causam ignoramus: nec vacaret culpa Monachus, qui sine admiratione, rem grandem hanc præteriret: quæ homines Ethnicos efficacissimè moueret. Siluit enim Dei-filius, & tam excelsæ, ac insolite siluit, vt miraretur Præses vehementer. Profectò si Pilatus homo reprobus admiratur, equum erit Religiosos obstupescere?

36 At stupor hic ed prodesse debet, vt rei causam inuestigent: Quod si inuestigando deficient, vnum saltem apud se statuunt, silentium exactissimè colendum esse, & à Christi schola loquaces, vel linguæ incuriosos longissime distare. Certè nisi tacere hominum interfuisset, Iesus Christus per annos plures prædicasset: cùm ergo tandiù tacitus egerit, dicendum videtur silentium illud ad salutem, & perfectionem nostram eque ac eius prædicationem contulisse: quare ergo non sit immane crimen

men silentium Christi reijcere; si crimē atrox est, eius verba repudiare?

37 Expendant ergo fratres nostri rationes has à tanto exemplari depromptas, & perdulcissimum Iesu Christi silentium vitæ verba requirant.

De Gratitude. Cap. XVII.

1 **A** Equissimum est sanè quicquid animum à Deo dimouet, vt sensuum inutiles fūctiones oculorum modestia, & taciturnitate, intercidere: sunt enim tot tantaquē debita, quibus clementissimo Deo sumus obnoxij, vt ad agendas pro beneficijs gratias, omnes animæ vires intus contrahere oporteat.

2 Quapropter suauissimam virtutem gratitudinis, quæ velut neglecta apud multos iacet, ab ijs quos Deus maioribus bonis auxit, quales fratres nostri sunt, impensius exerceri decet.

3 Est autem gratitudo (quæ & gratia nuncupatur, & ad iustitiam reducitur) virtus, qua quis ex accepto beneficio, affectum erga benefactorem cōcipit, &